Universitätsbibliothek Paderborn

De Rebvs Britanniæ Novis

Barclay, John

Francopoli, [ca. 1640]

urn:nbn:de:hbz:466:1-39759

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 1536.

~~f.~~ XII
31.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE REBVS BRITANNIÆ NOVIS.

Colleg.ij Socits Jesu Paderbornæ 1670

I. BARCLEI AD SVOS GENTILES EPISTOLÆ.

Ao. 1628. ut videtur Scripta

ex Bibliotheca Jodoci à Dudinck Coll. Colon. Soc. Jesu A. 1657 emptus.

FRANCOPOLI.

Ex Officina Matriniana.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LECTORI.

PAVCAS dabit, & penè familiares hic libellus epiſtolas; ante aliquot menſes diuerſè primùm ac ſeparatim, miſſas à viro Theologo in Britanniam; ſi fortè amica hæc admonitio valeret ad pacem regni apud Caluini miniſtros, Britannicæ Chriſtianomachiæ ſolos authores. Nunc verò quando medicinam hanc, vt video, ſuperat morbus; confertim in claram veniunt lucem, profuturæ ſaltem, ad ſpeciem aliquam Britannicæ infelicitatis ante oculos ponendam: vt diſcant mortales ex hoc vno nobiliſsimi quondam regni caſu, quàm ſit pro-

na ad regnorum perniciem via, quando nouis hominibus, priſtinæ pietatis contemptoribus janua aperitur; &, quod hoc opuſculum oſtendet, qui more veterum hæreticorum nihil habent pro ſymbolo veritatis, præter viuendi licentiam, & profanas quaſdam, atque inſanas ſcripturarũ interpretationes; ſanè ex inani figmento capitis ſui petitas. Hîc etiam miraberis, Chriſtiane lector, aſpiciens prodigioſam hanc apud Britannos Chriſtianomachiam, vbi acerbiùs hodie quàm vnquàm bellum in Chriſtianos accenditur; atque ita nouo impetu redintegratur: vt ne quidem primæ nobilitatis viris parcant, ex plebe nati Caluiniſtarum miniſtri: Deo, & magno Regi Britanniæ ingratiſsimi. Et quis non dicet Neroniana per iſtos rediiſſe ſecula, vbi aſpiciet viros eximiæ dignitatis, alióſque permultos, non hæreticos, non principi rebelles, non vitio

notatos, tam indignè atque atrociter ad extrema quæque rapi, & prona ferocitate poſtulari de maieſtate, ſolùm quia more maiorum & auito verè Chriſtiani ſunt. finio. vides lector, non quicquid lubet, licere: & primam, vt quidam ſapienter dixit, euertendis regnis cauſſam eſſe viuendi licentiam; ſupremam verò, & plurimùm efficacem ab impietate oriri. Vale.

Deus venerunt Gentes in hæreditatem tuam; polluerunt templũ ſanctum tuum. *Pſal.* 78.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

EPISTOLA NOVATORVM IN GALLIA, AD nouitatis Miniſtros Britannicos.

DIV multúmque deliberatum eſt, viri fratres, hiſce diebus apud nos de periculo, quod vobis eſt nobiſcum commune; nec ſine contentione ex more noſtro: primùm quidem in ſanctiore apud nos ſecretario; deinde, quod ſolemne nobis eſt, cum plebe, à quâ vt ſcitis, pendent noſtra omnia. Actum ibi acriter eſt, quid nobis caperemus conſilij, in magnâ ſatis rerum noſtrarum per Gallias inclinatio-

ne: & rogatis ſententijs placuit pleriſque; vt, quod ab initio ſectæ noſtræ cæpimus omnes, conſilium de rebus noſtris augendis, & minuenda principum auctoritate ſtaret deinceps; nec pateremur nos vllo modo diuelli à poſſeßis vrbibus, & iam quaſi per præſcriptionem noſtris. Hi etiam dicebant, fore vt vel mutatione temporum, vel morte principum (ſcitis ſpem noſtram) feliciora adhuc nobis ſuccederent. Non vos moramur: placuit hæc ſententia: & vt ſæpè fit, major pars meliorem vicit. Ergo reſtitimus principi (ò infelix conſilium) & momento temporis omnia nobis erepta ſunt. Hæc de nobis. Nec tamen effecit hæc noſtra calamitas, vt de vobis non eſſemus ſoliciti; formidantes plurimùm, ne quod nobis hìc accidit malum, qui exuti templis miſeri ſumus, vos etiam comprehendat, ſi pergitis eſſe pertinaces in veſtra quam ex-

citaſtis perſecutione, in Romanæ fidei profeſſores, illi Chriſtianomachiam vocant. Certè malè hoc nouo nomine apud omnes auditis, & noſtro malo edocti amicè monemus, non leue in hoc belli genere videri periculum. Sic quidem apud nos ratiocinamur: nullas habetis munitas ciuitates; non magnas opes: primæ nobilitatis viros, vt audimus, indignè in vos prouocatis: mobilis etiam ſors eſt principum voluntas. Si contingat principem vel conniuere, vel non fauere veſtræ cauſæ: aut actum de vobis erit, aut precariò viuere oportebit ſub his quos contempſiſtis. Minùs fortaßis vos feriunt hæc jacula, quæ nondum videtis: ſed in procinctu ſunt. Vtinam poſſetis intueri propiùs res noſtras, atque etiam experiri mala, quæ patimur, quando ſic empta ſapientia melior vobis erit, quàm quæ gratis offertur per has literas.

Spatio duorum menſium triginta ſeptem vrbes munitæ, voluntate vnius Principis nobis ereptæ ſunt: nec vlla nobis eſt reliqua. Scitis etiam à quantâ ſpe magnarum rerum deiecerit nos Rupellana clades. Etiam vrbibus, atque auctoritate exuti, nondum ſumus ſecuri, niſi nuncium remittamus Caluino, quod fere incipimus præſtare, vt ſic maneant nobis bona, licet exigua, licet malè quæſita. Quid ergo tandem vobis damus conſilij? Sanè luſimus ſatis per hos ſeptuaginta annos in Geneuenſi theatro: ſatis bello datum eſt. Si nos auditis, canere oportet receptui. Et ne quid apud vos diſsimulemus: cauſa hæc noſtra inclinata eſt, & infirma. Per Europam, qui litem nobis mouent, numero longè ſuperiores ſunt, potentiores armis, atque opibus; & ne hoc etiam vos lateat, certè doctiores; quod noſtro magno malo ſæpè in Gallijs experti ſu-

mus. Et vobis idem eueniret, ſi auderetis copiam illis facere diſſerendi de religione. Cogitare etiam debetis, quantum obſit vobis (quod hic quoque longo vſu didicimus) effuſio illa Chriſtiani ſanguinis, atque hæc veſtra Chriſtianomachia, quantas hic in vos excitet iras. His nuper exactis diebus, dum euerſis vrbibus noſtris, & ſolo æquatis, aſpiciebamus noſtrorum hominum ſtragem tantam, vt ne Miniſtris quidem noſtris rebellionis auctoribus parceretur; optabamus multo auro redemiſſe primam illam Chriſtianorum cædem à nobis patratam. Vos hoc exemplo ſapere poteſtis. Eſt porrò malum aliud cauſæ huic noſtræ æquè probroſum, & ob quod deſerimur quotidie à multis, qui ferre non poſſunt riſum aduerſariorum, cùm dicimus nos in capite habere Spiritum ſanctum, aut vt illi non valdè malè vocant vertiginem, pro omni

clypeo & defenſione nouæ doctrinæ. Scitis quàm ſæpè à noſtris Miniſtris actum ſit, vt aliquam honeſtam ſpeciem daremus huic infami apud omnes dogmati. Caluinus vt homo facilè in multis rebus errare potuit: ſed dum hoc docuit; à noſtris hominibus, qui cæteris ſunt doctiores, deliraſſe dicitur. Teſtes ſunt, qui à nobis defecerunt ad Romanam fidem, doctiores Miniſtri. Videtis ad quas cogimur anguſtias, dum aliud ſentimus, aliud loquimur ad populum; & ea dicimus, quæ audiri non poſſunt. Difficile eſt diu in tàm manifeſto opprobrio, noſtram apud plebem tueri auctoritatem. Nec aliud occurrit remedium, quàm vt Caluinum pro concione damnemus. Sed tunc ſtabit deliberatio, vt vel ſinguli ſibi fingant nouam religionem; vel omnes redeant ad vnitatem doctrinæ, quam fateri cogemur eſſe in Romanâ Eccleſiâ. O præ-

nobis fælices, qui ab eâ non defecerunt, atque has quas patimur anguſtias non ſunt experti. Et verò quid agimus? fallimur ſi ſperamus poſſe nos prorogato bello euadere ſuperiores, qui per totam Europam aut proſternimur; aut ſi in veſtro terrarum angulo res integra eſt; hoc, inquiunt, eſt, quia pro legitimâ concertatione de veritate, carceres & cruces obijcitis, aquâ & igne interdicitis. Fallimur, ſi in terrore vllo iniecto ſpem ponimus, quando aduerſarijs noſtris mori in hac acie pro inſigni victoria eſt. Res porro nobis eſt cum ijs, qui longo rerum vſu didicerunt certare pro Romanâ fide, exemplo magnorum ſanè virorum, à quibus fatemur tot antiquas hæreſes fuiſſe profligatas, quorum terunt veſtigia, qui nos hodie oppugnant: quorum tenent doctrinam & libros (quos nos ne conuincamur, reijcimus:) & denique quorum vi-

za (ſi credimus hiſtorijs) fuit mi
raculis, & virtute illuſtris. Ha
betis, viri fratres, quid ſentiamu
hic in Galliâ, vbi ſapere noſtr
malo diſcimus; & quid vobis vti
fore planè exiſtimemus. Caue
tantùm ne ſerò nimis ſapere inci
piatis: certè quod pro coronide re
ponimus, mobilis ſors eſt Princi
pum voluntas, nobilium viroru
iras in vos concitaſtis, & veſtr
ſenatus conſulta quæ nunc hiſtori
nobiles tranſmittunt ad poſteros,
ſunt exteris nationibus ridicula
ſunt fatua, & nobis ſi crediti
ſunt Neroniana.

AD N. VIRVM CLARISSIMVM.

De Statu Rerum Britannicarum.

TVAS accepi literas, V. C. quibus te vehementer dolere ſcribis patriæ vicem, & luctuoſum hunc Regni Britannici caſum. Proinde ad leniendum animi dolorem, petis de Britannicarum rerum felicitate ſub Catholicis quondam Principibus aliquid à me audire. Quòd doleas in hac cauſa, quæ grauiſſima eſt, laudo ſatis: Nec petitionem vitupero. Sed vereor multùm, ne non tam facile

tibi ſit modum ponere dolori, a
in promptu eſt audire meliora. Ra-
ra eſt concordia immenſæ calami-
tatis, cum iucunda præteritorum
recordatione. Memini Iſraëlita
patrio ſolo extorres apud Chal-
dæos, ad antiquæ Sionis recorda-
tionem nequaquam temperaſſe à
lachrimis. Verùm, ſi tantus amor
eſt, aurea illa ſæcula, cum ha
ferrea ætate Britannica compa-
rare; & intueri, quàm diſpari Do-
mino dominetur hodie inſularum
regina Britannia, quæ fuit olim
felix & fortunata; habes apud te
gloriæ iſtius præcones, hiſtoriarum
conditores illuſtres, qui quid ipſa
rectè fecerit, in lucem dederunt.
Hos conſule, vt hanc temporum
& iniuriarum fallas moleſtiam.
Hi quid domi foriſque geſſerit,
demum quâ temporum felicitate
floruerit, docebunt. De qua lau-
dum parte & materia, ſi aliquid
etiam à me, vt ſcribis, audire deſi-

deras, pareo; ſed dabis veniam, ſi pro rei grauitate vltra legem Epiſtolæ excurrat interdum oratio. Præteribo etiã multa, iturus tantùm per ſumma temporum capita. Et primùm, ne numerabo quidem illa quæ in vltimis habenda iudico, de claris ingenijs, de ſalubritate cœli, de opibus quamuis magnis. Hæc, inquam, & quæcumque ipſi non fecimus, patere præteriri: quãtúmvis ex longa Regum ſerie, & atauis bellica laude claris, adiunctam habeãt & collectam commendationem. Illud hìc caput eſt, & quod ad rem præſentem facit vel maximè, Britannos inſigni erga Deum floruiſſe quondam pietate. Dies me deficerent & anni, ſi vellem in hoc genere rerum præclarè geſtarum ſeriem retexere, ſi Britanniæ decora, & felicia ex hoc capite incrementa. Præteribo ſanè obſcuriora illa tempora, ſub duobus Cæſaribus, Dictatore

& Claudio, quando nondum fides Christiana apud indigenas, vt loquitur Cæſar, & primos Inſularum Dominos illuxit. Clariora ſunt ſæcula illa, Britanniſque illuſtriora, ſub magno Conſtantino, Britannicâ prolè clariſſimâ. Imò & multis ante eum annis, aureum illud fulſit ſæculum, quando imperante Commodo, anno ſupra centeſimum octogeſimo tertio, Lucius in maiori Britanniâ Rex, Chriſtiana ſacra, vt Beda auctor eſt, primus admiſit; ac vt ſcribit Tertullianus, Britannorum inacceſſa Romanis ducibus loca, Chriſto ſubdita eſſe cœperunt. In quo glorioſo opere, magni illi, & ſanctiſſimi viri, Fugatius & Damianus, non Caluini alicuius, ſed Eleutherij Romani Pontificis auctoritate nitentes, Britannis Apoſtolico afflatu illuxerunt. Durum eſt Nouatoribus non poſſe ſe ad hæc incorrupta tempora prouocare. Nec

ſilentio prætereundum eſt, in illis fidei initijs, fuiſſe pro felici omine ruptum Inſulæ nobilem illum murum, Romani imperij apud Britannos limitem. Certè vt naſcentibus ſacris Chriſtianis, fides vera non haberet obſtaculũ, & moreretur ibi antiqua ſuperſtitio; & propagatâ deinceps per Petri ſucceſſores verâ pietate, haberent ruinæ impietatis illuſtrem honoris tumulum, quo exciperentur. Neque hîc ſteterunt initia illa pietatis Britannica. Quod vt clariùs appareat, ibo hac narratione, ſed paucis, per duo illa Britanniarum nobiliſſima regna. A primâ fidei luce pauci exibant anni, quando Donaldum dedit Scotia principem, & quidem in Regum ſerie ſeptimum ſupra vigeſimum: ſed Chriſtianâ profeſſione primum. Poſteà verò cùm ibi à Regibus tredecim piè ſub Romanæ fidei profeſſione regnatum fuiſſet, ſuſcepit regni gubernacula

Ferguſius eius nominis ſecundus & magnus apud omnes habitus Princeps: ſub quo, & deinceps adnitente ſummo Pontifice, ita floruit res Chriſtiana ſine Caluiniana hæreſi; vt ſi à Donaldo Catholico rege primo numerum ineas reperias tàm feliciter regnatum eſſe per Reges octuaginta, ad noſtra vſque tempora: vt nec ſtemma regium deficeret, nec Rex eſſet, qui palàm Eccleſiæ Romanæ non obtemperaret. Tale fuit per tot ſæcula boreale hoc, & inacceſſum olim Romanis Imperatoribus regnum; certè vt alijs titulis priſcæ pietatis, ita etiam ſocietate arctâ cum Romanis Pontificibus clariſsimum. Et ne plura commemorem, teſtes huius rei ſunt totis his ſæculis ipſa ſacrarum ædium donaria: quæ ſi loqui poſſent, Caluini miniſtros opprobrijs, vt nouos impoſtores, inſequerentur. Teſtes viſenda templa ante mille

annos Deo erecta, ſub titulis Apoſtolorum, & Matris Dei beatiſſimæ. Quid de peregrinationibus ad Chriſti incunabula à Hieronymo laudatis? Ipſi denique rerum geſtarum ſcriptores antiquiſſimi, Beda & alij teſtes ſunt omni exceptione maiores: quibus non credere, ſtupor eſt; velle plus nouis apoſtatis deferre, inſania. Hæc de transmuranis: qui annis antè mille religione ſunt Catholici, Apoſtolici, & Romani.

Nec minor in hoc pietatis ſtudio fuit apud Auſtralia regna multis ſæculis gloria. Hanc inſulæ partem hodie Angliam indigitant: regnum vt armis & opibus potens; ita antiquæ pietatis monumentis nobile. Eſt hæc Ciſmurana Britannia, à Commodi Imperatoris temporibus piè & Romano ritu Chriſtiana. Sed quibus initijs? quóve rerum ſucceſſu ad tantam excreuerit Anglia gloriam; iam pau-

cis, quando id audire deſideras,
accipe. Anno ab epocha Chri
449 449. cùm auſtralis huius Brita
niæ incolæ, multis quidem an
annis Chriſtiani, grauia patere
tur à Tranſmuranis: Saxones
Anglos è Germania, copias au
xiliares, euocarunt. Sed aduen
breui rerum domini, & ſuperior
facti, ac Prouincias inter ſe pa
titi, heptarchiam conſtituerunt. E
quamuis Saxonicæ heptarchiæ di
tio, ſi originem ſpectes, prima no
eſſet; tamen acceſſione reliquoru
ſub heptarchijs regnorum, facti
eſt omnium imperatrix, atque am
pliſſima. Hi Saxones dicti Occi
dentales ſunt, apud quos ab ann
522 522 regnatum eſt per 22 Reges
vſque ad Aluredum: cui ſub an
872 num 872 obuenit monarchia, &
à quo Angliæ nomen, Prouincijs
quibus eſt potitus, fuit inditum.
Inde verò propagata ſucceſſio eſt,
vſque ad Gulielmum Normaniæ
Ducem,

Ducē, qui anno 1067 coronatus in 1067
Anglia, dictus eſt cōqueſtor, & ſub quo Saxonum regnū ceſſauit. Hic, vt auctor eſt Malmuſberienſis nobilis ſcriptor, hæres regni ſcriptus eſt ab Eduardo liberis orbato: ſed cùm obniterentur Angli aliqui, accepto à ſummo Pontifice vexillo (qui tunc erat Alexander ſecundus) Angliæ Dominus euaſit. Habent certè hic Britannici Nouatores, quod mirentur, & ſimul imitari deberent: nullum in tot ſæculis, & annorum iliade reperiri Caluinianum miniſtrum, qui aut bellum Romano Pontifici, aut Chriſtianis, quòd Chriſtiani eſſent, indixerit: non Regem, non Ducem, non cœtum vllum, à primis Chriſtianæ religionis temporibus: aut qui eam Sedem vt Apoſtolicam non ſit veneratus. I quæſo per hiſtoriarum ſingula capita, Lucios inuenies, Aluredos, Gulielmos, & vſque ad hæc Apoſtatarum po-

ſtremæ tempora alios, æquè fi
Apoſtolica Romana & virtutibu
alijs conſpicuos. Eóque plures pro
greßi ſunt, vt pietatis quoddam
vectigal Romano Pontifici penſi
tarent; ſanè amoris ergo & bene
uolentiæ erga ſedem Apoſtoli-
cam, à qua tot pietatis ſemina ac-
ceperunt. Sed age iam Caluin
Miniſter, qui nudiuſtertius in lu-
cem veniſti; vide, quibus proge-
nita ſit Chriſtiana Britannia pa-
rentibus; quo vbere lactata, & à
quibus prima, ac totiès repetita
ad pietatem acceperit hortamēta.
Pigebit te, ſi ſanæ mentis es, &
pudebit ingratæ mentis erga pa-
rentem, cùm te videas extremo hoc
ſæculo paricidam, ne fieres more
maiorum, æterni hæres & inco-
la domicilij. Venio ad alteram
narrationis partem, quàm ſint ho-
die à maioribus degeneres Britan-
ni ſub captiuitate Caluiniana.
Expendant velim imprimis, quàm

teneant à Caluino Apoſtata diſciplinam, & eam conferant cum illa, quam viri miraculis, doctrinâ & virtute clariſsimi, per tot annorum periodos maioribus tradiderunt; reperient profectò quàm procul à ſcopo Chriſtiano eos abegerit falſus libertatis & licentiæ amor; & in quantam, quod iam dicam, induxerit ſeruitutem. Stetit quidem more maiorum res Britannica, quamdiu ſtetit pietas fidei, & conſenſio cum Sede Apoſtolica: ſed rupto noſtrâ ætate hoc ſacro fœdere cum matre, læſóque numine, quid aliud niſi indignatio diuina expectari potuit. Sed quibus demum initijs? Tentarunt primùm Angli, exeunte anno 1395, Summi Pontificis auctoritatem minuere, edito ridiculo decreto, vt poteſtas ſacra, quam Chriſtus Catholicam eſſe voluit, & toti terrarum orbi neceſſariam, deinceps vltra Britannicum Oceanum

Anglia.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non valeret. Sed hæc leuiora ſun Nemo repentè fit ſummus, vti virtute, ita & in vitijs. Et au ctore Auguſtino, nunquam hære ſis eſt primum peccatum. Sic n propter idololatriam primam uerſa ſtatim ſũt regna Iſraëlitica Adoleſcebat adhuc malum Bri tannicum, & nouis peccatis enu tritum ita creuit ſub annum 1527 vt vetitis connubijs eſſet locus, in ciperétque contemni Eccleſiæ au ctoritas. Quid hîc expectas? Prin ceps laicus, auſu inaudito, ſ Eccleſiæ Dei caput eſſe denunciat & Luthero Apoſtatæ reſeratus eſt ad nouitatem, nouámque hæreſim aditus. Sunt certè grauia Principum peccata; ſæpe etiam, vt hîc vides, ad ſummam impietatem via; & quæ facilis ſit ad plenam ſub Diaboli tyrannide captiuitatem. Quis iam erit, qui tanto impetu, & per tot gradus, inclinatas res Angliæ aſpiciens, atque

his artibus ad hæreſes eam feſtinantem; non ſtatim pronunciabis euaſiſſe miſeram ex florente quondam regno, & degenerem à maioribus. Hanc captiuitatem, Babylonicam ne, an Britannicam dixeris, non pugno. En ſaltem pro flumine Babylonico, oceanum malorum; en captiuorum vincula, & ſatellites Lutheri miniſtros. Nondum in theatro fabulam ſuam dederat Caluinus: breui tamen adfuit, quando ſub vtroque ſceptro Britannico, inualuit principum licentia in diuinas leges; in Clero vita malè ſobria, & inſcitia rerum diuinarum; ac proinde in populo ingens morum corruptela. Sic, inquam, laxatis ad omne genus vitiorum habenis, reſeratiſque ad omnem nouitatem clauſtris Britannicis, ad ſuam etiam nouitatis plenam tragœdiam ſignum dedit Geneuenſis hæreſiarcha, qui è Scenâ in theatrum perſo- Scotia.

natus prodijt, & antè fori rabu-
la, iam voluit videri theologus:
deſtinatis in Scotiam Maſſeni
piſtore, & alio neſcio quo ſartore
qui ex quodam religioſo ordine
Apoſtatæ, euaſerunt actores Cal-
uinianæ fabulæ, & miniſtri, ſi
dijs placet, quinti cuiuſdam Euan-
gelij. Et erit iam qui non videat
infelix hoc alterum, & boreale re-
gnum, à maximis peccatis pro-
lapſum eſſe in hæreſim: & totam
pene, quanta quanta eſt, degenerem
à maioribus euaſiſſe Britanniam!
Fecit ſanè Deus, cùm Moſaicam
illam gentem, tam ad peccatum
pronam videbat, vt ſæpiùs mone-
retur vocibus Prophetarum, &
antè caſtigaretur etiam, quàm tra-
heretur in ſeruitutem. Nec niſi ex-
pletâ fere iniquitatum menſurâ,
Deus Ezechiam & Ioſiam optimos
Principes è medio ſubduxit. Qui-
bus non eſt monitis ad rectè viuen-
dum excitata Britannia! à vitiis

certè magnis, & vitæ integritate conſpicuis, atque etiam à Sede Apoſtolica miſsis, prænunciata eſt à Britannico Oceano ingruens hæc tempeſtas. Nec defuit ibi infenſi numinis frequens indictum, mors etiam optimorum Principum, vt ipſi vidimus: & ne quid deeſſet, datum tantæ cladis è cælo ſignum eſt. Inibat enim annus à Chriſto 1556. quando ingens cometa in 8. libræ gradu, menſe Martio arſit, diebus ferè 12. Sed nihil horum terruit, ad miſerandum hunc caſum pronam Britanniam; vt mihi liceat ſæpiùs exclamare, excæcari eorum animos, qui nutu numinis ex prænotione operum ad exitium deſtinãtur. Nec plura. Obſignaui expreſſione temporis narrationẽ hãc de rerum Britannicarũ inclinatione, à cuius infelici initio excurrit hodie annus fere ſeptuageſimus. Faxit Deus, vt quo felici exitu Babylonicam totidem annorum

† Maria Angl Regina A. 1558 circa Novembris initium [illegible] Vide Fl. Raemondum lib. 6. cap. 10. nu 1. 2. 3 et Elisabetha successit, q[ue] spuriis natalibus [illegible] excussit Ecclesiam [illegible] & regnavit ut altera Iezabel.

1558
70
1628
Ergo Aº 1628 scripta forent ista praesentia

captiuitatem illã diſſoluit: eode[…] hanc dirumpat Britannicam, […] faciat vt exoriens Darius alte[…] aut Angelus è cælo miſſus, Chri[…] ſtianæ libertatis aſſertor, ſeruitu[…] tem à nouis hominibus inuectã de[…] pellat: & malorum extirpator, t[…] mortalibus de ſalute dubijs ſu[…] currat. Ite ſanè vos, ite Ange[…] veloces prophetica voce inuitati: e[…] inanite, incendium ſopite, Hu[…] iſtud Chaldaicum (ignem inter[…] pretor) extinguite veſtris preci[…] bus, & Carolũ regem ſereniſſimũ quem manet, ſi vult, hæc gloria, a[…] hoc nobile operæ pretium impellit[…] Deus hanc illi mẽtem inijciat, qu[…] regno periclitanti ſecuritatem, & ipſi afferet vitam immortalem.

Votum inane nam iſte Carolus a Calviniaris A. . . . tyrannicè capite eſt plexus.

Habes vir clariſſime plura qu[…] petebas. Duo inquam rerũ capita felicia ſimul & infelicia. Tu alte[…] rum dãna: alterũ expecta breui re[…] diturum. Inſcriptio epiſtolæ anony[…] ma eſt: tempora accuſabis. Vale.

AD
VIRVM CLAR.
COMITEM N.
DE CHRISTIANOMACHIA Britannica.

ACCIPE *hîc, V. C. quod aliis ad te literis promiſi, ſcripturum me de veſtra Chriſtianomachia. quam ſi attentè conſideres, miraberis ſatis nouũ hoc belli genus ab omni æquitate alienũ, & quantum pugnet cum vera & catholica religione.*

Mirantur certè qui ſub primis illis Rom. Imperatoribus, res acerbè geſtas in Chriſtianos lectitant; potuiſſe illos, quamuis idololatras

& cultores Dæmonum, adeo abduci à recta ratione, vt in homines innocentes, atque pietatis amantes ſeuerè armarentur. Sed ecce tibi quæ maiorem dant hodie admirationis cauſam, Britannica tempora. Chriſtianos ſe eſſe profitentur, quotquot hoc ſeculo Britanniam incolunt: quo ſanè grauior Chriſtiano orbi videri debet atque acerbior, omnis illa apud vos excitata perſecutio. Quod ego nouum belli genus, nouâ voce efformata, Chriſtianomachiam voco, ſed Britannicam. quam ſi libet philoſophicè ex adjunctis deſcribere, quid aliud tibi videbitur quàm inteſtinum bellum, in quo non à barbaris gentibus, vt olim; ſed à Chriſtianis Chriſtiani ad necem petuntur, ſolùm quia Chriſtiani ſunt, more maiorum, & antiquiſſimæ doctrinæ, indubitatis titulis, auctoritatéque irrefutabili, poſſeſſores. En belli natiuum nomen ſimul &

cauſam. Non ſatis dictum. Damnantur inſontes pro ſontibus, & poſt duros carceres, ac publicationem bonorum, ne quidem in exilium ire permittitur. Non parcitur primæ nobilitatis viris; non eorum liberis. Et dum hæc ſcribo, non prægnantibus, non infantibus nuper natis: vt ſanè mirum non ſit, ſi per Gallias, aliáſque nationes exteras audiantur in Britanniam hæ voces; numquam tam pronus fuit in Chriſtianorum perniciem apoſtata Iulianus: Non talis in hoſte Chriſtiano Turcica barbaries: Non crudelis Scytha, aut vllus mortalium. ſed quò deuoluor? Taceo cætera vt ſunt iſta moleſtiarum, & tragicæ narrationis pleniſſima. Atque vtinam poſſent æterno hæc inuolui ſilentio, ne cum tanto gentis noſtræ opprobrio tranſirent ad poſteros. Sed quid facies, malum iam in omnium oculis eſt, & huius barbaricæ cru-

delitatis pleni ſunt libri. Et verò vt
de belli auctoribus hoc addam; ſat
ſciunt mortales, quorum vocibus
ad populum, & quibus cuniculis
Miniſtri veſtri expugnauerunt
primùm indoctam plebem, ac mox
nobilium animos ſpe falſæ liber-
tatis, ac opum Eccleſiaſticarum:
qui tandem numero ſuperiores fa-
cti, eos, qui obſiſtebant ſapien-
tiores, Reginam (ipſam quod om-
nes ſciunt) & principes viros ad
necem accerbam poſtularunt; im-
memores in hoc prælio miſeri, quid
craſtinus dies ſit allaturus. Attigi
paucis ſcopum, quem volebam,
& fontem indicaui, vnde mana-
uit Britannica Chriſtianomachia.
Veſtrum enim hoc crimen eſt, No-
uatores Geneuenſes: Veſtra ſua-
ſio, conſultores peſſimi, oneroſi, &
quod olim dicebat Iob, κακῶν παρα-
κλήτορες, qui principum Regúm-
que aures nouis fabulis obtundi-
tis. ſic falſæ libertati, & propriis

intenti ſtudiis fœdaſtis nobiliſſimum regnum, omnia cæde & ſanguine miſcentes, vt eſſet poſteris crudelitatis ſpectaculum; iis autem qui hodie viuunt infame ludibrium, niſi μετάνοια piacularis, quamuis ſera, infamiam abſtergat. Et certè quid aliud niſi hec vnica in naufragio tabula ſupereſſe poteſt, vt Britannis ſic delictum deflentibus, Deus, qui in pœnam magnorum delictorum, hæreſes interdum euenire permittit, & cùm expedire iudicat, tollit è medio; miſereatur tandem Britanniæ, eámque Apoſtolicæ atque veræ Eccleſiæ reſtituat. Aperui Chriſtianomachiæ immanitatem, ſimul & inuentores; nunc quàm ſit iniqua Geneuenſium dolis, & vltra naturæ legem progrediatur, expende. Mirum profecto eſt, cur non pudeat Nouatores Miniſtros tam iniquum in Chriſtianos homines bellum concitare, quòd iure om-

ni damnatur, diuino, & humano.
Prolixus eſſem, vt à leuioribus incipiam, ſi recenſere vellem bonæ fidei poſſeſſores innumeros, de templorum, & Eccleſiaſtici patrimonij poſſeßione, per ſummam vim, & iniuriam deturbatos, & quorum ius plenum poßidendi, tot ſeculorum antiquitate firmatum fuiſſe non ignorant aduerſarij. Iniuria hæc eſt grauißima, ſi legibus humanis & diuinis aliquis eſt locus. Et quæ demum ſtabit Reſpublica? quod tutum imperium, ſi indictâ cauſa licebit nouis hominibus, ſolùm quia noui dogmatis auctores ſunt, inuolare in aliorum patrimonia? Quis perditißimus homo, ſi frontem perfricuit, non ita faceret? Et demum, vt hoc obiter addam, quale ēſt hoc dogma, quod ex priuato ſenſu, & ridiculo phantaſmate ortum, à totâ Chriſtianâ Eccleſia eſt damnatum. Sed non eſt hîc certamen de doctrina; de iniuria que-

rimur, & titulum iuſtitiæ quærimus, quo freti noui priuatique homines, alienas inuadunt poſſeßiones. iugo premunt templa, atque arua Britannica. Cogitare illi priùs debuiſſent, quibus initiis, & quo iure, parata fuit, & conceſſa hæc Eccleſiaſticarum rerum poſſeßio? Certè conceſſa à primis, & iure ſuccedentibus Eccleſiæ paſtoribus; à Conciliis porro, & ſummis Pontificibus. Hæc hactenus concedendi fuit ſacerdotia lex & conſuetudo. An non etiam hac viâ & ratione mutari hodie, dari nouis ſucceſſoribus & conferri debuerunt? cùm nihil tàm naturale ſit, vt ait Iuriſconſultus, quàm vt vnumquodque diſſoluatur eo vinculo, quo colligatum eſt; & alioqui inuaſio hæc non ius ſucceßionis habeat, ſed direptionem rerum ſacrarum, rapinam & ſacrilegium. Et quæ demum iuſtitia eſſe poteſt titulo nouæ ſectæ, ſine legitimæ mißionis teſſera, ſine

tabulis; velle poſteros ab ea poſſeſ-ſione deturbare, quam octuaginta Reges firmarunt. quamuis & ali-quid veræ religionis (quæ nulla apud Nouatores eſt) illis ſubeſſet, & miſsionis aliqua vel leuis forma ap-pareret (vbi etiam nihil illis fa-uet) adhuc tamen ſtaret pugna, an in hac illorum dubia cauſa poſ-ſent antiquiſsimum poſſeſſorem è fundo deturbare.

Neque his tantùm terminis ſe continuit in Britannia Miniſtro-rum iniuſtitia. Eadem æquitate ſub vexillo quinti Euangelij, itum eſt etiam in laicorum bona. opu-lenti ſanè non erant ſartores illi, qui primi in Britannia Chriſtia-nomachi fuerunt: de alimentis & ventre cura fuit; & quidem prima: nec ſufficiebant illis templorum ſpo-lia: opes cumulandæ erant nouis Apoſtatis, quibus vxores & liberi diteſcerent. Via optima viſa eſt, ſi in verè Chriſtianos, legitimos

rerum

rerum dominos, anathemate primùm, deinde bonorum publicatione ſæuirent, eo ſolo titulo, quòd è noua Geneuenſium ſecta non eſſent. Dicite vos, Miniſtri, per veſtram fidem, & iurati, quænam hîc ſeruetur iuſtitia? Certè nulla maior, quàm ſi quis ignotus, nouæ alterius ſectæ titulo, vos veſtráq; inuaderet, & ita vrgeret, vt nec plagis, nec ſanguini veſtro fundendo eſſet modus. Quid vobis ſic bellè vapulantibus veniret in mentem; Non moror, rideat vos qui volet. Nimium certè externæ gentes hæc & grauiora de vobis audiuerunt. Naturæ lex à vobis aliunde etiam violata eſt. Cur quæſo, vultis in hac Chriſtianomachia adimere Britannis innatam à natura libertatem rectè ſentiendi de Deo? Hoſtes, inquam, naturæ eſtis, ſi, quam ipſa dat libertatem præripitis. aut ſi negata libertate Britannis liberum non eſt id agere, quod ſua detis ſtul-

tè agitis. Sed iterum à vobis quæro, quorſum tot prælia contra hanc Catholicorum liberam voluntatem ſentiendi de Deo? Si quia aliter ſentiunt, quàm veſtra Geneuenſis noua Schola; profligatam cauſam defenditis: & oporteret vos priùs euiciſſe, (quod nunquam præſtabitis) ſectam hanc veſtram eſſe ſanctiorem, quàm fuerit aliorum pietas à quindecim ſeculis conſeruata.

Videtis, viri nouatores, quàm multa vobis obſint; quàm nihil faueat veſtræ cauſæ, non ius ciuile, non gentium, non naturale, vt dixi, nec certè diuinum. Et poteſtne qui in ius naturæ peccat, legem diuinam fauentem habere? Ego certè etiam ſi vellem vobis fauere, nihil reperio quod pro vobis ſtet, præter illud ſolum capitis veſtri figmentum; omnia quæ dicitis & docetis, omnes interpretationes ſcripturarum veſtras, eſſe dicta-

mina Spiritus ſancti. *Quod quàm hoc inane ſit, quàm ſuperbum, quàm ridiculum, omnes vident, dum pro omni defenſione, vt etiam pro analyſi veſtræ doctrinæ, introducitis cum Montano hæreſiarcha nouum Paracletum in orbem terrarum. Sed de hoc ad vos aliis literis. Nunc his finem impono: tantùm moneo vt veſtros per Gallias diſperſos fratres audiatis benignè, qui ſimul cum his literis ad vos ſcribunt de rerum ſuarum inclinatione, & hortantur ſuo exemplo, ne vos perditum eatis. Tu verò V. C. perge hanc temporum acerbitatem ferre æquo animo, memor chriſtianomachiam hactenus, nullam fuiſſe perennem.*

AD AMICVM A CALVINISTIS SEDVCTVM

ANALYSIS CALVINIANÆ DOCTRINÆ.

LVCTVOSVM *ſanè eſt poſt tot debellatas hæreſes, renaſci hodie noua iterum monſtra, & hydras quibus ſuperſint adhuc capita amputanda. Habuit tamen ſemper Dei eccleſia, talium monſtrorum domitores &* ἀλεξικάκους; *qui effecerunt, quæ eſt diuina prouidentia; ne mala hæc vltra tempus & momentum à Deo permiſſum inualeſcerent. Neque hodie his eſt deſtituta præſidiis. Ego quamquam nunc id non ago; nec intra harum literarum an-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

guſtias decreui, pro hac ſacra cauſa contra hos Nouatores inſtructa acie dimicare; imo nec velitari pugna hoſtem aggredi. alterius & prolixioris operæ eſt hoc negotium. Dabo tamen hac familiari epiſtola, ſumma quædam capita, quæ & tibi viro cordato, atque aliis non malæ mentis hominibus, ex ſola Caluinianæ doctrinæ externa ſpecie atque analyſi facilè oſtendent, quàm in prono ad æternam perniciem diſcrimine ſit, qui poſthabitis rectè credendi principiis, diuinitus toties, & per tot ſecula firmatis; velit nouas res ſequi; nullo iudice, & quod iam dicere aggredior, nullo teſtimonio firmatas.

1 *Quod mihi in hac cauſa mirum ſemper eſt viſum, fuit multorum credendi temeritas, & præcipitatio in re tanti momenti. Fateor quidem viuendi licentiam, & blanditias voluptatum, pellexiſſe plurimos, vt Caluinum ſequerentur;*

abiecta cura quid virium falſitas haberet: ſolùm contenti, falſa certè, ſed ſpecioſa flagitiorum impunitate quam nouus homo ſine pœnitentiæ ſenſu, vt certam Dei nomine promittebat; imo & prædeſtinationem, certámq; ſalutem, quamuis nunquam deleantur, vt dicebat, commiſſa peccata. Tyrones in ſacris literis ſatis vident, quàm iſta impietas cum diuinis oraculis manifeſtè pugnet. Et quis non videt hanc ab inepto & ignoto homine profectam inanem promiſſionem, non ſatis eſſe, cur illi fides adhibeatur; niſi quis temerarius eſſe velit, & inſipiens in deliberatione de ſalute æternâ: quod negotium eſt grauiſſimum. quis quæſo eſt, qui non poſſet plura, quàm Caluinus polliceri, ſi ad audendum proiectus eſſe velit. Sed age porro auctorem petimus fide dignum tantarum promiſſionum. Pollicitis diues quilibet eſſe poteſt: tabulas petimus, & promiſ-

ſionis, imo & miſsionis Caluinianæ iuſta diplomata. valde hoc telum ferit Nouatores. Sed audi, ſi placet, ſupremam Caluinianæ cauſæ defenſionem. Rogantur; qui in Caluini verba iurarunt, vt tandem edant nouæ huius doctrinæ analyſin, ſeu à quo auctore primò eam acceperint? à ſcripturis, inquiunt. ſed ad ſcripturas nonne veteres hæretici prouocabant? eſto. prouocet etiam Caluinus. quo tandem interprete? vnum, inquies, ſcripturæ locum per alium interpretatur. ſanè. ſed mox vtrumque dant explicatum, Boni viri, ex ſuo cerebro. ergo iterum de vtroque loco quærimus, quo interprete? hîc hærent. premuntur ad hanc vocem; tunduntur; ſed nihil extundi poteſt, niſi vel mirum ſilentium, vel (quod ægrè proferunt) ridiculum, pro omni interpretatione ſcripturarum; ſtare in Capite cuiuſque nouum Spiritum Sanctum, qui ipſis interpretatur

ſcripturas. ô defenſionē probroſam! atque ita tandem pro verà analyſi doctrinæ, ſtabit figmentum capitis cuiuſque; & hoc verum erit, quod quiſque ſibi effingit eſſe tale. Actum eſt de veritate, omnìque verâ doctrina, ſi eò tandem veniendum eſt, vt pro credendi primo principio, cùm ſit analyſis, & pro ſola prima regulà fidei, ſtet neſcio quæ capitis vertigo in Caluinianis. En patrocinium nouæ huius doctrinæ. res planè ita ſe habet. hoc ipſi Nouatores fatentur, & docent. Cur verò in hunc infamem ſcopulum adacti ſint, & tam impiè in foribus peccent, cauſam iam accipe manifeſtam, Theologica ratiocinatione expreſſam. Quæ Deus ab æterno credenda decreuit, & poſt initium temporis fieri voluit: non aliter nobis innoteſcunt, quàm per reuelationem à Deo & Eccleſia probatam: eſt enim hæc eccleſia, quæ regitur à Deo, & qua cum ſuo capite

iudex eſt controuerſiarum. Han
vocamus fidei regulam, & ad pru-
denter credendũ neceſſariam in ipſ
credendi veſtibulo, dum quod cre-
dendum eſt, mortalibus proponitur
ſic quidem non temerè credimus, ſe
per infallibilem aliquam certitudi-
nem ducimur ad actum fidei eli-
ciendum, vt loquuntur Theologi
Iam verò cùm hæc credendi prin-
cipia, & ad prudenter credendum
datas à Deo regulas reiiciunt ve-
ſtri Nouatores; coguntur confugere
ad figmenta ſua & capitis cogita-
tiones, quas ridiculi fingunt (vt
olim Montaniſtæ) eſſe à Deo im-
miſſas, & has venditant pro omni
regula credendi: ſibi perſuadentes,
loqui in ipſis Spiritum Sanctum
& mirabitur iam aliquis, ſi Dei Ec-
cleſia hanc inanem perſuaſionem
contemnat, damnétque: dum No-
uatores nihil habent, in quod redu-
cere poſsint ſolidè ſuam fidem, præ-
ter hæc capitis ſui monſtra, & qua

reuocata ad analyſin, probroſum circulum habent, quo priuatum hunc ſpiritum reſoluunt in ſcripturam, & rurſus ſcripturam in priuatum ſpiritum. Nec vitant circulum, vt hoc obiter dicam, dum inter eos ſciolus neſcio quis, mendicauit nuper à Catholicis, de vario genere cauſarum partitionem. eſt certè in hoc negotio ineptiſſima partitio, & in eo qui ſic loquitur inſcitiæ argumentum non vulgare. quis enim ignorat nullam rem creatam, nullum priuatum ſpiritum, poſſe eſſe id, in quod reſoluatur fides: quippe quæ infallibilem debet habere certitudinem, ſumptam à diuinâ auctoritate, vt res ipſa loquitur, & ſemper docuit Eccleſia. Hactenus de Spiritu, vnde tota Caluini doctrina habet originem, & intricatum circulum; dum neſciunt Nouatores diſtinguere regulam fidei à formali obiecto.

2. Infidelitas & incertitudo.

Secundum, quòd in ſecta huius

noua doctrinâ, vt probroſum me-
ritò obiicitur, eſt, nullam in No-
uatorum miniſtris eſſe Chriſtianam
fidem; ac proinde nec ſpem, nec
charitatem; ſicut nec in Dæmoni-
bus ſunt iſta, aut hæreticis vllis.
Demonſtrari hoc poſſet ratione theo-
logica, & quidem efficaciſſima.
Quicunque enim reducere non po-
teſt credendi exercitium, vel fidem
ſuam in Deum primam veritatem,
vt in primum fidei principium, ſeu
obiectum formale, vt Scholæ lo-
quuntur; ille certè nequaquam po-
teſt habere, vllam mentis operatio-
nem vel exercitium veræ Chriſtia-
næ fidei. quod planum eſt ex his, quæ
iam de analyſi caluiniana recenſui.
ſolus enim Deus eſt fidei auctor, &
reuelator rerum credendarum. Ad-
do, nec eſſe veram certitudinem
Chriſtianæ fidei, ſi certitudo tan-
tùm eſt ex re creata, aut Caluini
cerebro. Sed quoniã ſubtiliora ſunt
Nouatoribus hæc huius veritatis
prin-

principia, licet certiſſima, hic non hæreo. ſufficiet ex manifeſta antitheſi & comparatione oſtendere, nullam eſſe veræ fidei certitudinem apud Nouatores. Conſtitutum ſatis eſt) vel ex ipſa Nouatorum confeſſione, cùm ratione premũtur;) ſupremam & fidei, & doctrinæ certitudinem apud eos; reduci tandem (quoties ſaltem aduerſantur Catholicorum definitis aſſertionibus) in auctoritatem Caluini, aut miniſtri alicuius noui, afferentis & ingerentis nouum ſcripturæ ſenſum. Compone iam hanc certitudinem cum ea quam habet ſenſus ſcripturarum Catholicus: etiam ex ſolis humanæ rationis momẽtis (vt de formali obiecto nihil iterum dicam.) Stãt ſanè ex hoc ſolo capite pro ſenſu Catholico, ſolida traditio, Patres antiqui, & Scripturæ ſenſus, hoc ſæculo à maximis Theologis demonſtratus; adeo vt nihil in rebus humanis, quod pendeat à nobis

Præter obiectum motiua ſola dant certitudinem, qua etiam carent hæretici.

habeant homines certiùs quàm quod his credendi rationibus eſt comprobatum. Et verò his adde conſtantiam & gloriam martyrum pro hac veritate in Romana Eccleſia, ſumma ingenia, literaturam inſignem, ſanctitatem vitæ, & tantam huius Eccleſiæ per orbem terrarum maieſtatem. Hæc, inquam, omnia ſunt talia, vt dum his principiis non poteſt niti Caluiniana fides, doceant ab omni certa vera fide abeſſe Nouatorum credulitatem; & poßint quemuis alium cunctantem de religione, niſi pertinax ſit, in viam reducere rectam.

3 malè de numine ſentire.

Tertium, & quod magnopere hanc ſectam damnat, eſt vilis & abiecta æſtimatio, quam habet de Deo. Affinia ſunt hæc, carere fide (de quo iam dixi) & de Deo malè ſentire; quod nunc omnes notant eſſe in Nouatoribus. Vt ferenda ſint in Eccleſiæ hoſtibus aliqua, cer-

tè vt diuino numini non parcant, ferendum non eſt. Vorſtius Caluiniſta Deum, ac ſi creatura eſſet, audet certis concludere terminis. partibilem Deum facit, & quantitatis nequaquam expertem. Caluino Deus eſt auctor peccati. Illudit, inquit, hominibus, ſimulans ſe velle illos iuuare, dum tamen eos prædeſtinat ad æternam damnationem. Grauiora Lutherus, Beza, & qui ſubinde in hac eadem Secta inſecuti ſunt. Horret animus referre, quæ vnus Caluinus ſcripſit de Chriſti deſcenſu ad inferos in Catechiſmo paruo, & lib. 2. Inſtit. cap. 16. 9 & 10. Et erit iam qui hanc doctrinam non iudicabit impiam, aut qui tales in religione duces ſequi audeat. Hæc de Deo ipſo. At quid de rebus, quas Deus docuit Eccleſiam? Audiant primùm in qua re ſint gentilibus deteriores. In omni quæſtione de rebus diuinis, caput eſſe debet pietas, vt eſt ſum-

4 Dogmata. adſurda

ma rei commendatio. Gloriatur alicubi Cicero Romanos pietate, & religione gentes omnes, nationéſque ſuperaſſe. Rectè ſanè, ſi verum, ſi purum numinis cultum attigiſſent. Tolle hanc religionis partem, & vera dogmata, quæ homines in officio continent, vita hominum, *vt ait Lactantius,* ſtultitiâ, ſcelere, immanitate complebitur. *Vtinam apud Nouatores ſolida eſſent fidei dogmata, atque ab omni humano affectu, ab errore etiam libera. Quàm eos libenter exciperet Dei Eccleſia. Sed quis niſi imprudens, ea quæ hodie in orbem terrarum, contra omnem pietatem inuexerunt, æquo animo audiet? plurima innouant, & tot ſeculis probata reiiciunt, ſolùm quia id dictat illis ſpiritus ille nouus, & quo Caluinus ſe prædeſtinatum prædicat, quod nunquam dixit Scriptura. Moleſtum eſſet ſingula, vt par eſt, recenſere. liberta-*

tem, quam natura homini dedit, negatis, viri Nouatores. Dicite ſaltem probabilia. Deum facitis au- ctorem peccati: inſanæ mentis vox eſt, contra diuinam bonitatem bla- ſphemia impiiſsima. Baptiſmũ vul- tis non eſſe neceſſarium contra ex- preſſa Scripturæ verba. Chriſtiani eſtis ſine baptiſmo, anne pagani? Quæ Chriſtus ex ſumma miſeri- cordia ad mortalium ſalutem inſti- tuit ſacramenta; auctoritate noua improbatis & tollitis è medio. Chri- ſtianis inutilia eſſe docetis bona opera, & quæcumque ipſi faciunt, eſſe peccata. Demum vt cætera ta- ceam, vix eſt vllus Symboli Apo- ſtolici articulus, qui non ſit à No- uatoribus noſtri ſæculi (quibus viam fecit Caluinus) impiè expli- catus, mutatus, vel reiectus. Ex- tat de hac ipſa re libellus, Tria ſym- bola inſcriptus; & Moguntiæ à Quirino Cnoglero anno 1607 edi- tus. qui citatis Sectariorum iſto-

rum verbis, amplam huius rei ſidem facit. Quæ cùm ita ſint, vix audebit vir ſapiens dicere, hos verè eſſe Chriſtianos, cùm baptiſmum, Symbolum, & tot alia reiiciant: Certè ne Catholici nomen apud eos eſſe poteſt. nondum didicerunt ad illuſtrem hunc titulum, neceſſariam eſſe vnitatem? vnionem, dico, inter membra Eccleſiæ in eadem fide & doctrinâ cum paſtoribus. Nam quis vnquam ſanæ mentis putabit Chriſtum inſtituendo Eccleſiam, intellexiſſe illam in quâ ſchiſmata eſſent & pugnantia dogmata. Eſt ergo conſenſio in doctrinà nobilis ille Character, quo Deus Eccleſiam ſuam inſigniuit, & ſub quo titulo voluit dici Catholicam, hoc eſt, vniuerſalem, non loco aut tempori alligatam. Eſt talis doctrina Eccleſiæ: qui eam ſequuntur, Catholici ſunt. Qui verò ab vnitate doctrinæ recedunt; doctrinam, quam Chriſtus voluit eſſe Catholicam, non habent,

ac proinde nec Catholici ſunt.

Proximum eſt, vt oſtendam, quantum huic ſuæ labenti cauſæ diffidere cæperint, iam à longo tempore Nouatores. Nolunt æquo marte certare noui pugiles; nec aliis conditionibus niſi hoſtis priùs arma abiiciat. Hoc non eſt in viribus & cauſæ æquitate ſpem ponere. Sed agedum; quas illi efflagitant, certaminis conditiones? iniquiſſimæ ſunt. Stare formidant in acie, niſi teſtimonia diuina & humana pleraque, quæ eos temeræ nouitatis accuſant, reiicias. Si hiſtorias afferas veræ ac diuinæ traditionis teſtes, nihil ſunt: Si Patres omni doctrina & integritate conſpicuos contemnunt: vnum ſolum eſt in quo Nouatorum aliqui volunt modeſti videri, ſi naſcentis Eccleſiæ doctores obiicias. qui minus audaces ſunt verentur ſtatim hos non reiicere; & audient, quandiu non inde vincuntur; diutiùs nullo modo. Et quid

5. Diffidunt cauſæ Nouatores.

tandem ſi has Eccleſiæ columnas, vocet Nouatorum modeſtia delirantes ſenes. apage anathema. Quid porro Concilia ſacra? quid Nouatoribus niſi ſcopulus & naufragium? illis certè. nec mirum. Ibi enim antiquitas, doctrina, prudentia. ibi orbis ſenatores ſacri: ibi (vt teſtantur Apoſtoli) quæ placent Spiritui Sancto, decernuntur. & tamen reperti ſunt, qui cum Luthero, Kemnitio, & Caluini miniſtris, nec patres audiant, nec quicquam probent; niſi quod ipſi rectum verúmque eſſe pronunciant. eſt ne hoc cauſæ fidere & æquis certare conditionibus? Loquere Britannia, quæ pro omni cauſæ patrocinio, carceres & tormenta hactenus obiecisti.

6. Vtopia Nouatorum

Malè præterea habet Nouatores, quòd nullam poſſunt oſtendere Eccleſiam veram, vnde ad nos venerint; & à qua accepiſſe eos oportet (non ex ſuo cerebro) ſolidam

doctrinam

doctrinam. ſatis profectò hinc habent, vnde cauſæ diffidãt: ſatis vnde ſciant ſe nullius eſſe Eccleſiæ. Certiſſimum eſt, pro verâ Eccleſiâ, & eius Capite oraſſe Dei filium, ne vnquam à veritate deficeret; vt pote quam inſtituit vt columnam veritatis, iudicem controuerſiarum, & loquentem fidei regulam. Certũ porro eſt ſtatuiſſe Chriſtum, vt qui hanc Eccleſiã non audierit, habeatur velut Ethnicus & Publicanus. ſtat ergo Eccleſiam eſſe veritatis columnam; & qui non inde venit Ethnico eſſe deteriorem. Hîc proſtrati Nouatores manus dare coguntur: & fateri ſe, aut à nulla vera Eccleſia veniſſe; quod durum illis videtur. aut certè è noſtra, ac proinde impiè ab eius doctrina defeciſſe. Euadere voluit Caluinus nouam excogitando hæreſin, ſed ridiculam: ſe veniſſe ab Eccleſia inuiſibili, & quam ipſe, vt fatetur, nunquam vidit. Sic vafer homo nomen

Eccleſiæ retinuit, rem penitus abſtulit ac proinde à nulla venit Eccleſia. Et primum quis facilè credet hoc à Chriſtiano dici potuiſſe, ἀόρατον eſſe quod nullo modo latere debet, cùm Chriſtus tam manifeſtè inuitet mortales omnes ad Eccleſiam, & audiri eam præcipiat. Hîc reuera, ſi vnquam, delirat Nouator iſte. Iubeor quærere Eccleſiam, vt ſaluer; & nobis vmbra obiicitur. vnde ergo conſtabit vllibi eam eſſe? Det, ſi poteſt locum, ciuitatem, aut viros illos ſanctos, quos fingit fuiſſe in illa inuiſibili Eccleſia, & vnde ſe dicit ad nos veniſſe, alioqui impoſtor eſt.

7. Scripturæ. *Sed inter tot profligatæ cauſæ apud Nouatores, & diffidentiæ manifeſta ſigna, eſt poſtremò, quod hac in parte deſperatam cauſam denotat. Cùm vrgentur à Catholicis, negant auctoritatem ſacrorum Codicum. & Quid aliud ſupererat, vt penitus inſanirent? En quibus*

gradibus ad ſuprema mala eatur. Dicam apertiùs. Si obiicias Nouatori ſenſum & mentem antiquæ Eccleſiæ, prouocãt ad Scripturas: ſi Concilia, nihil eſt, niſi Scripturas oſtendas. Nec aliud in ore habent, niſi Scripturas. Ac demum cùm ex Scripturis redarguuntur, negant magnam partem Scripturarum, & eos tantùm volunt eſſe ſacros codices, quos Geneuenſe oraculum vult eſſe Canonicos. cæteros negant. ſed nec hic ſtat eorum audacia. nam eas porro Scripturas quas recipiunt; à vero ſenſu, quem tota probauit antiquitas, detorquent & corrumpunt. ac ne quid ad impietatem deſit, canonem ipſi condunt, & quoſcunque ſanos codices cum ſua Geneuenſi doctrina pugnantes inuenerunt: eos, violato diuino iure, vt detruncant & fœdant; ita expungunt è Canone, quem per tot ſæcula probauit Eccleſia. Longum eſſet recenſere, quos damnatos ab Eccle-

ſia hæreticos ſint in hoc imitati Nouatores. Vides ſatis cauſam illis eſſe deſperatam. Satis etiam puto apparuiſſe qualia ſint Nouatorum dogmata, per quæ, excitato incendio per ſeptuaginta annos continuos arſit Europa. Quod ego his literis vir amice ſuſcepi explicandum, vt ſcias quàm ſit malè tutum credere ſe his flammarum miniſtris. Vale mortis memor, & magni diei, quo mundi gloria finienda eſt.

Hoc impletum ē a Caluinianis A.o 16... cū Carolum Regem ſuum ſubditi eiꝰ decollarūnt proceſſibus tyrannicis, et ſententia mortis iniquiſsima præmiſsis.

Captabunt in animam iuſti: & ſanguinem innocentem condemnabunt. Pſal. 93.

FINIS.

AD SENATVM.

APVD vos, *Patres Conſcripti, breuiſsimis his literis de ſalute Reipub. dicturus, aliam non capto beneuolentiam, præter eam quam omnium veſtrûm animi, qui patriæ patres eſtis, pollicentur: & qui probè etiam noſtis, quanta laudationis auctoritas vobis apud poſteros ſit manſura, ſi quod veſtro regno ſalutare eſt, probaueritis: Nam de ignominia, ſi ſecus acciderit, nolo præfari. Rem ipſam aggredior.*

In Republica ſcopulus, cui allidi hæc nauis, & frangi ſolet, eſt ciuium animorúmque diſcordia. Imperia etiam diſſenſione

collabuntur, æquè ac conſenſione coaleſcunt. Hoc vt in omni ſpecie turbamenti verum eſt, vſúque atque experientiâ comprobatum; ita vbi antiqua pietas multis ſæculis approbata impugnatur, certiſsimum eſt. Libenter hic profero monitum illud ad Auguſtum, & Nouatoribus perutile, ſi monitorem admitterent. τοὺς δὲ ξενίζοντάς τι περὶ αὐτὸ (*ante dixit* τὸ θεῖον) καὶ μίσει· καὶ κόλαζε, μὴ μόνον τῶν θεῶν ἕνεκα· ἀλλ' ὅτι καινά τινα δαιμόνια, οἱ τοιοῦτοι ἀντεισφέροντες, πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν. κἀκ τούτου καὶ συνωμοσίαι, καὶ συστάσεις, ἑταιρεῖαί τε γίγνονται, ἅπερ ἥκιστα μοναρχίᾳ συμφέρει. Eos verò qui in diuinis aliquid innouant, odio habe, & coerce; non Deorum ſolùm cauſa, ſed quia noua quædam numina hi tales introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum. vnde coniurationes ſedi-

riones, conciliabula exiſtunt: res profectò minimè conducibilis principatui. *Nimius eſſem in hac re, ſi quæ ex hac malorum radice nata ſunt damna, vellem aliūde dare in mediū. Illud certum eſt, Deum ob nouas has de numine, & ſine ratione excitatas lites, regna non tantùm affligere grauiter, ſed ad gentes alias etiam transferre. Per ipſum enim Reges regnant, vt vel priſca, primáque Eccleſiæ ſecula ſatis oſtenderunt. Certè ſub Moſe Reſpublica (ſi ita vocari debet) & poſt Saülem regna tam diu feliciter ſteterunt, quamdiu vnus fuit omnium de vera religione ſenſus. at quàm primùm nouitas in cultu locum accepit, omnia peſſum ibant. Non hæreo: ſacri codices id paßim teſtantur. Quid Chriſtiana tempora? Arrianis de religione in Græcia, Aſiáque contendentibus aduerſus Catholicos, an non permiſit Deus, vt ad Arria-*

nos principes atque Apoſtatas deuolueretur imperium? Græcis de diuinarum perſonarum proceſſione acriter decertantibus; inclinatæ ſunt res Chriſtianorum; & Turci totius orientis, ac Græciæ domini euaſerunt. Nouæ ſemper religionis auctores, neſcio quo fato, nati videntur ad regnorum euerſionem. Quàm propè à periculo abfuerit reliqua Europa his ſeptuaginta annis Caluinianis, eſt hodie notiſſimum. Toto hoc ſeculo per hos Nouatores miſerè jactata eſt Flandria: Sueuiæ Rex legitimus ab iiſdem ejectus eſt, & regnum adhuc ſub Caluiniana tyrannide eſt. Nec tutum manſit Romanum Imperium, vt nihil dicam de illa, quæ nuper apparuit è Rhenano tracta in Bohemiam expeditione. Quas porrò deplorandas rerum vices hoc eodem ſeculo non aſpexit in ſe clariſſimum ſimul ac Chriſtianiſſimum Galliarum regnum? Sci-

A 1620

mus fugato ad Meldas Rege, & per conſpirationem occupatis plurimis, præcipuiſque vrbibus, tantùm non extinctum fuiſſe. nec vnquam plenè ciuitates in Regis poteſtatem redierunt à tot annis, donec exeuntis captiuitatis huius Britãnicæ anno ſeptuageſimo, Ludouicus XIII, *immortalitate dignus princeps, & velut alter Hercules monſtrorum domitor, rebelles Nouatores egregiè domuit; qui iam in ordinem redacti gregatim redeunt ad fidem Catholicam. Sed quorſum attinet externa recenſere; cùm domeſtica Britannis exempla ſint ad manum: Vbi non regna tantùm in diſcrimen vocata ſunt, ſed Regum etiam & principum virorum iugulum petebatur. Dicant Nouatores Miniſtri, quibus artibus extincta ſit Maria Henrici octaui filia natu maxima, Regina omni laude, veráque pietate inſignis,*

quæ ſi vixiſſet diutius, actum erat de Nouatoribus. Quid de altera Maria, quæ poſt mariti mortem Franciſci ſecundi Galliarum Regis, rediens in Scotiam hæreditarium regnum, primùm dolis, deinde apertâ vi, regno pulſa eſt à Nouatoribus, tandémque acerbâ morte extincta ab iis in Anglia, qui illam vt legitimam Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Reginam agnoſcere debuerunt. Hæc ipſa eſt, à qua, qui nunc legitimè Britanniis imperat Carolus, regnandi jus, & poteſtatem accepit; & qui, vt ſperare licet, Deum aliquando colet more maiorum. Non ſemper mare Caſpium vexant inæquales procellæ. *Redeo ad Nouatores, qui ne tragœdiam ſine cataſtrophe darent, in principes viros, immo & in Cardinales, Polum in Anglia, & Bethonium in Scotia paricidiales manus injecerunt. Hæc acta à vobis ſunt Miniſtri*

Nouatores in regnorum perniciem. Si plura expectatis, reuoluite Βασιλικόν δῶρον, vbi hunc veſtrum ſpiritum, quem nouum paracletum eſſe vultis, reperietis vocari à magno Rege fanaticum, perfidum, & qui nil niſi ſeditionem ſpiret; ac calumnias. Satis, vt ſpero, apparuit, quàm nihil ſit tutum, vel regnis, vel principibus, vbi inualuit ſemel Nouatorum potens auctoritas. Quod ille etiam vel maximè verum eſſe affirmabit, qui horum genium, vbicũnque dominantur, perſpectum habebit. Regis & regni nomen oderunt, & omne Monarchicum regimen. Democratiam affectant: Geneuenſes, Heluetios, Rhetios, Batauos intuere, lector, & alias, ſi quas habent, prouincias, vbi rerum domini penitus euaſerunt. Et mirum iam aliquis exiſtimabit, ſi in regenda etiam Eccleſia, ipſi ſine capite eſſe

NB.

velint. Ad extremum, veſtrum eſt, Patres Conſcripti, diligenter intueri, quanta cum Britanniæ ignominia ſæuiant ibi hodie Geneuenſes Miniſtri. Tolerabile hoc malum eſſet, ſi belli huius quod in Chriſtianos Britannos illi nunc excitant, ſolius Britanniæ finibus, aut noſtri etiam ſeculi periodo, fama contineretur. Sed non ita eſt; per vniuerſum terrarum orbem facti huius Britannici nomen manauit: & quãdiu orbis hic ſtabit Chriſtianus, tandiu nobile quondam regnum ex hac clade, apud poſteros malè audiet. Et quidem quæ ex leuioribus culpis collecta eſt infamia, leuiter etiam ferri poteſt: Sed bella in Chriſtianos, ſpolia & cædes ſunt, ex quibus concidit gloria tua olim inclyta Britannia, Latinus Poëta Pharſalicam aciem, cæteráque ciuilia bella deſcripturus, illud vt tragicum, & maximè probroſum initio deplorat, quod

orbis

orbis dominatores Romani, tandem in ſua viſcera conuerſi, ſigna ſignis opponerent, pares aquilas, & pila minantia pilis.

Signa ſunt longè luctuoſiora in hac noua acie, & Chriſtianomachia: vbi non modò Britannus Britanno, ſed Chriſtianus Chriſtiano hoſtis obiicitur; ſicque eo tantùm res geritur, (quod deplorandum eſt) quo vetus verúmque Chriſtianum nomen tollatur è medio. Tale eſt hoc à Geneuenſium miniſtris bellum, in ipſam Chriſtianam profeſſionem excitatum, auctum, inueteratum. Vbi nunc Britannia eſt illa Majorum tuorum gloria, ex bellis longè aliis contracta? Vbi ſub primis Chriſtianis Regibus in omnes Chriſtianos amor? quando vix excurrentibus ducentis à Chriſto annis idololatria conculcata viam fecit Chriſtianis ſacris: & illis certè, quæ hodie deploranda Britannia tam

acriter expellis. Vbi illa ſigna? vbi victricia vexilla, hoſtibus Chriſtiani nominis tam formidata, quàm feliciter obiecta? Recenſe Regum tuorum agmina generoſa, & expeditiones in Siciliam, in Palæſtinam, & remotas orientis ſolis partes, pro defenſione Chriſtianæ huius fidei, quam hodie tot bellis inteſtinis expellunt Nouatores Miniſtri. Nec alios nunc harum rerum teſtes requiro, quàm tot templorum ſacra monimenta, domi, foriſque excitata; donaria innumera accepta à Summis Pontificibus, viciſſimque reddita beneficia. Vides ſanè Chriſtiani nominis inſecutor Miniſter, à quanta gloria per te exciderit, & in quantum opprobrium traxeris nobiliſſimum regnum. In quantam, inquam, miſeriam, ſi nihil eſt infeliciùs, quàm ex beato miſerum fieri. Vos verò, Iudices, & Conſcripti Patres, quos ſemper hono-

ris cauſâ nomino, non poſſum non hortari ad eam rerum Britannicarum cum Deo pacem, quæ vobis futura eſt ſalutaris; & toti regno, ſi multis mortalibus creditur, neceſſaria. Ego, qui in hoc argumento ſine cuiuſquam offenſione verſari cupio, non cōmittam vt audiatis ex me, quid juris, aut æquitatis eſſe putem, in his Senatus veſtri placitis, & tot repetitis in Chriſtianos ſanctionibus. Solùm meminiſſe oportet rei benè, vel malè geſtæ memoriam tranſire ad poſteros: inſtabilémque eſſe hanc rerum humanarum conditionem. Punctum ſanè eſt & puncto minus, quod tantopere hîc colunt mortales: & breui excurret momentum, quod ſupereſt ad ſupremum diem illum, quando de veſtris Senatuſconſultis, ac religionis veritate ſtabit ſupremi Iudicis metuenda ſententia.

Quia dominus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos. in æternum conſeruabuntur. iniuſti autem punientur, & ſemen impiorum peribit.

HORTATORIA AD BRITANNOS EPISTOLA.

QVEMADMODVM *ad rectè viuendum nihil eſt difficile volenti; ita nihil difficilius quàm voluntatem cogere. ſanè quæ à ſolo Deo ſuperari poteſt. Sunt tamen quæ ad bonam hanc mentem conferant non pauca: animus imprimis liber ab humano & minùs liberali affectu, cui ſi frænum homines iniicerent, nullis vnquam hæreſum turbis vexarentur. Nulla eſſet vnquam ſeceſſio ab vnitate doctrinæ iuxta communem*

Eccleſiæ ſenſum creditæ: nuſquam ſine legitimæ miſſionis teſſera & ſymbolo noua populis obtruderentur dogmata; nec à conſtitutis per tot ſecula iudicibus, & poſſeſſione præſcriptâ firmatis diſcederetur. Sed cùm ad hos mentis ſcopulos, & ſentiendi libertatem tam facilè multos impellat neſcio, quis infelix aquilo cogitationum noſtrarum; & tamen rerum diuinarum prima cura eſſe debeat, præſtat ſerò ſapere quàm nunquam: vt ſunt poſteriores curæ ſapientiores. Et vos primùm (Nouatores Miniſtri) fundi noſtri calamitates, libenter adhortarer ad hanc ſanam mentem, & ſecundam poſt naufragium tabulam, quos adhuc obuiis vlnis expectat Eccleſia: ſed vt ſatis vereor, ne ſit iactura temporis, in præſentia non moror, prolixiùs vos hortaturus, vbi ſpem fecerint maiorem veſtri mores. Vnum obiter à laudato hiſtorico audite: Con-

ſilia veſtra, quamuis callida & audacia, prima facie læta ſunt, tractatu dura; euentu triſtia. *An rectè ominer, dies probabit. Tu verò patria, felix quondam ſub alio religionis ſydere Britannia, aduerte, ne æſtus te totam abripiat. Sunt in tuo Oceano Syrtes, ſunt vada, ſunt ſcopuli. Scopulus eſt vitæ licentia, quæ peperit nouum Caluinum. Scopulus eſt vſurpatio rerum ſacrarum, in quam Chriſtianomachia te induxit: ſcopuli ſunt, & naufragio infames in hoc mari tot innocentes ſeptuagenariâ hac captiuitate extincti, tot ſancti martyres, qui iam in cælo clamant;* Vindica, domine, ſanguinem ſanctorum, qui effuſus eſt: & *quicquid pſalmo 78 continetur, in tuos cælum armat, niſi, ceſſent miniſtri Nouatores, tot licita, vt vides, per illicita fœdare.*

Vos denique, viri nobiles, & Britannicæ nobilitatis principes,

communis hæc patriæ calamitas commouere debet, vel maximè. Arma non cogito: pacem ſpiro: ſed ad auorum pietatem impello. Hæc ſunt priſcæ & auitæ pietatis monimenta, quæ iure ſuo vos reuocant ad parem cum illis in religione integritatem. hoc æquum, hoc tutum, hoc vobis glorioſum eſſe clamant eorum facta, quorum terere debetis veſtigia. Veſtris olim armis Britannica regna ex inclinati Imperij Romani ruinis ſunt excitata: domi nobilitate & religione ſunt aucta; foris, & apud remotiſsimas gentes formidata. Sed quid hæc ſunt, quamuis maxima, ſi ignobili impietatis tumulo apud nepotes ſepeliantur. ô quanta eſt rerum humanarum inconſtantia, niſi numen adſit! quanta impendet, immortalis etiam calamitas, ſi vel modicum in religione peccetur: Vetus verbum eſt, ſed cui pectus eſt, in pectus

demittendum, carent morte animæ. Poſt emiſſam ſupremam vocem prodeſſe nihil poteſt, niſi quod ante mortem piè feliciterque eſt peractum. Deus vos animæquiores reddat, magnanimi principes, atque efficiat, vt intelligant mortales à vobis non ereptam, ſed per vos Britanniæ reſtitutam fuiſſe veram auitámque religionem.

Verùm quando tandem fiet, ſupreme moderator Britanniarum, vt, quod ſæpius à Deo multi mortales precantur, conuertas oculos ad glorioſos ante te principes (qui atauorum ſtirpe clariſsimus es) & ex illorum rectè factis intelligas ſecuritatem & gloriam ſceptri Britannici, ex vero pacatoque numinis cultu omnino pendere. Vtinam etiam aſpiceres, quàm grauia ſint, & ab innatâ tibi clementia aliena, quæ ab annis 70, nomine religionis paſsi ſunt in Britannia innocentes Chriſtiani. Teſtis innocentiæ

ſanè eſt orbis terrarum, qui in hac cauſſa, quam tracto, illos pronunciabit inſontes. Fatentur quidem plurimi hac nec tua eſſe, nec à te profecta, quæ deploramus mala; quod prudens rerum æſtimator, qui hodie Britanniam nouit, facilè aſſequetur. Nemo tamen non accuſabit illos principum Conſultores, qui veri copiam non faciunt, & quo ipſi ducuntur, inclinantia reſpondent. *Non eſt in hoc tutum regni præſidium: ſed ſcopuli ſunt, quibus allidi ſolet, & frangi nauis Reipublicæ. Infelix malum eſt non moneri. Infelix (inquit alius) eſt Imperator, apud quem vera reticentur. In his certè quæ ad Deum ſpectant, & veriorem diuini numinis cultum. in quo ſi multùm peccetur, contingit regnorum contextum in varias diſcindi partes, & ſubuerſam iacere priſtinam ſoliorum majeſtatem. Alia te, princeps, ſors ma-*

net, & longè felicior, ſi placet operi manum admouere: ſed facto opus eſt & maturato. dies deficiunt, labitur ætas: & quod more gladiatorum in arena capitur conſilium, de ſalute æterna, eſt periculoſiſſimum. Peroraui hîc obiter, ſed paucis pro re nata, ac demum in cauſa, in qua ſemper licuit apud principes impunè perorare.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

AD NOVATORVM MINISTROS DE MORIBVS ADMONITIO.

FACERE *non poſſum, in hac veſtra chriſtianomachia, acrius hodie quàm vnquã redintegrata: vt non vos compellem amanter, atque obteſter, quotquot hanc aciem ſub ſignis Caluini inſtruitis; primùm, vt quàm graue ſit bellum, quod aggreſſi eſtis, cogitetis diligenter. Ego ſanè vobis exitum omnino polliceor, quod aliis ante vos hæreſibus eueniſſe benè ſcitis; ſed quo euentu veſtrum eſt oculatiùs, quàm hactenus præmeditari. Si me audire vultis, nihil fauſtum vobis auguror, dum in hoc veſtro Geneuenſi vexillo tria hæc leguntur inſcripta,*

Chriſtianomachia ; Iconomachia, & Theomachia. *Nec miror in hoc nobili emblemate non eſſe vllam Chriſti crucem, non labarum, non aliam Chriſtiani nominis teſſeram: eſtis enim Chriſtianomachi. Stomachetur, qui volet, ex vobis miniſter: narro verum. An non ſunt Chriſtiani, quos perſequimini? An non luctuoſum in eos bellum, his 70. annis eſt prorogatum? bona direpta ſunt; non eſt temperatum à cæde & ſanguine: nec dum tamen debellatum eſt. Et quam demum victoriam ſperare poteſtis, aduerſus conſtantes fide, & pro Chriſto, Chriſti milites? mouetis omnia, ſed nihil promouetis. Crucem geſtant in labaro mentis. Reuocate ad memoriam priſca illa tot Imperatorum bella in Chriſtianos. Cæci eſtis vos belli huius ſemen; ſi non agnoſcitis, ſanguinē ſic fuſum eſſe ſemen Eccleſiæ. Cæciores, ſi dirutis ſacris ædibus, ſi-*

nem ſperatis: Nam euerſis templis, etiam de puluere pugna ſtabit.

Sed antequam finiam; de veſtris in hoc bello moribus aliquid audite. Eſt quod miretur orbis Chriſtianus, imo & doleat; vos nouos, & initio nullius notæ homines; priuatâ fretos auctoritate, tam ſanè ad mala ingenioſos fuiſſe, morúmque corruptelam: vt mundi pars illa, quam inuaſiſtis, ob nouam in ſe hodie morum faciem, nihil fere quod Chriſtianum ſit præter ſolum nomen exhibeat. Sic vos, qui Eccleſiæ, non rem, ſed nomen tantùm retinetis; etiam in probitate morum, nil præter virtutum nomina quod reliquum ſit poßidetis. adeo ſane, vt ſi veterum philoſophorum qui Nominales dici voluerunt placita fidem hodie haberent; adhuc vobis potiùs, quàm illis hæc nominis ratio deberetur. Non ibo per ſingula vitiorum capita, ne vobis ſtomachum moueam.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Poſſet fortè aliquis, in hac inter vos morum corruptelâ, recenſere grauiora flagitia; de irruptione in Eccleſiam Dei abſque miſſionis tabulis; de fœdatis ſacris codicibus; reiectis; corruptis ingenti temeritate; ne inde veſtri confutarentur errores. Eâdem etiam de causâ contemnitis ſacra Cõcilia, Patres, Academias; tantùm vt locus ſit veſtris moribus: & pro omni iudice controuerſiarum ac regulâ fidei, regat omnem in terris Eccleſiam ſuperbus ille ſpiritus veſter, ſeu potiùs vertigo capitis. Hos ego mores, vt parcam vobis, hîc prætereo.

Solùm dicite, candidè; quis Pelagius; quis nouus, è triuio veterator, tantundem non faceret? Sed vnum eſt, quod præterire non poſſum, perſuadent ſibi mortales, vos eſſe regnorum, & Rerumpub. euerſores. Grauis, fateor, eſt hæc in moribus culpa: atque eo grauior, quòd quæ vos in hoc genere, inge-

nioſè præſtatis; veſter mos ſit, illa calumnioſè in alios conuertere. Non ponã ante oculos veſtros (miniſtri Nouatores) quod literis ad ſenatum datis ſatis attigi, regno pulſam à vobis Mariam illam religione Catholicam, atauorum ſanguine clariſſimam, & olim Galliæ & Britanniarum Reginam. Quis hoc ſiccis oculis audiret? Saltem his audite iterũ literis, quam eodẽ tempore in theatro Gallico tragœdiam dare eſtis conati. nam hoc etiam ad veſtros mores pertinet. Non ſacra maieſtas regia vos retinuit, quando Carolus nonus ad Meldas vrbem, tantùm non captus, ægrè Lutetiam tenuit. Et quando aliquid vobis non placebat, pro ludo erat obiectare Chriſtianiſſimo Principi vobis eſſe ad manum 50. armatorum millia. Horum temporum recordamur ſatis, quæ aſpeximus; & nepotes veſtri infelices vos prædicabunt, quoties ponent

ante oculos, quinquies iuſtâ acie à rege Chriſtianiſsimo pugnatũ eſſe; tantùm ne nobiliſsimum orbis regnum, Caluini miniſtris ſeruiret. Quoties hoc ipſũ in Belgio tentatũ eſt? In Germaniâ verò, præter alia Lutheranorũ initia quæ vobis comperta ſunt, viris in hac militia verſatis; veſtrum nondum extinctum eſt bellum; ſed vehementius hodie recruduit; quando magnum quendam principem impuliſtis, vt Romani imperij arcem inuaderet. Quis vos hîc non dicet conſultores onerosos, qui, tot Principum aures venenatis: qui tales eſtis, niſi vos fugiant principes, vt fugiat eos regnum, imo & vita. Feliciora ſanè fuerunt atque tutiora ab euerſione, Heſperia tota & Italia: ad quæ loca per Dei gratiam, nondum penetrare potuiſtis. Nec mirum videri debet in vobis hoc malum: Nam quos non reuocat Dei timor ab inuaſione ſacrilega rerum ſa-

crarum; quomodo impediet à ciuitatum & regnorum euerſione? Dura admodum ſunt hæc iacula, quæ criminando in vos contorqueret terra ipſa, quam perturbatis; ſi reſpiraret, ſi vocem haberet. Vnum adhuc ſupereſt in moribus veſtris, oppidò criminoſum, & ob quod in reprehenſionem incurritis, apud multos, qui benè vos norunt. Turpe ſanè eſt homini mentiri, turpius Chriſtiano, turpiſſimum verò ſi in mendacio eſt calumnia. Et quid tandem erit, ſi vos qui regnorum ſummas frangitis, infirmatíſque opes: etiam per odium, maleuolentiam pertinacem, & per calumnias, innocentiæ iugulum petitis. Eſt hoc in vobis non nouum, ſed nimium; nulli parcitis. Sed fingite vos tantùm calumniari ſectæ veſtræ reluctantem: adhuc tamen Chriſtianæ charitatis, quæ hîc ſummè læditur, memores vos eſſe oporteret. Multa ſanè peccatis in vnicâ calumnia: In

iuſtitiam, in charitatem, in veritatem; imò & in prudentiam; cùm vobis ipſis plus inuidiæ improba vox afferat, quàm viriũ, & laudis. At prodeſt calũnia hæc veſtræ cauſæ. Sanè rideo inſcitiã, & malum animũ. Ergo vt faueas cauſæ tuæ, iniquiſſimè ages? Satis hoc capit qui aliquid habet humanæ rationis. Iniuſtiſſima quidẽ eſt veſtra cauſa; ſed fingite eſſe iuſtam: non, auditis Paulũ: Non ſunt faciẽda mala, vt inde proueniãt bona. *Interpretemini hunc ſi poteſtis locũ. recurrite ad latentem illum in cerebro veſtro ſpiritum, nunquã efficietis, vt calumniator non ſit ſycophanta, & non exeat condemnatus à Deo, his verbis:* Non facias calumniam proximo; & humiliabit calumniatorem Deus. *Valete memores etiã horum verborum:* Apprehendite diſciplinã, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta. *Pſal. 2.*

FINIS.

ACCIPE TANDEM

Chriſtiane lector, vel ex hoc breuiſſimo indiculo, quam ſupra morem & iuſtum omne ſit hodie crudelis Chriſtianomachia Britannica.

QVi more maiorum & Catholico ritu in Scotia hodie Chriſtianus eſt; hoc ſolo nomine, ſeuero damnatur anathemate, rapitur in carcerem: bona publicata adiudicantur Fiſco: & ſolùm quia Chriſtianus eſt, denunciatur reus læſæ Maieſtatis. Edicta in Chriſtianos.

Si quis (quod crudelius eſt) Chriſtianum hominem domo exceperit; ſi iuuerit ope vel conſilio; ſi cibum dederit, etiam extremè egenti; ac denique, ſi ſciens eſſe hac profeſſione Catholicum, rem Iudicibus non aperuerit; decernitur grauiſſimis pœnis obnoxius, & de læſa Maieſtate ſuſpectus.

Non licet afflictis Chriſtianis ad Regem prouocare. & ſi quis poſt litem de religione intentatam, regem adire conetur, crimen eſſe contemptæ maieſtatis edicit præco.

Quid, quòd ne quidem regno exire licet; propoſitis grauibus pœnis nauium Rectoribus; ſi Chriſtianum ſic aqua & igne interdictum, exportent ad exteras nationes, vbi vitam ſuſtentet.

Nec ſolùm in plebeos homines hæc firmantur Senatus decreta, & mandantur executioni; ſed inſuper in primæ nobilitatis principes viros, & ſupra quàm cuique credibile eſt in virgines, in prægnantes; vt nec pendentibus ab vbere natis ſit ſecuritas.

Poſtremo quantus ſit ardor Britannicæ perſecutionis, quàm malis artibus inuexerint Caluiniani miniſtri, fidem abunde facit admirabilis illa diligentia ad Chriſtianos miſerè mulctandos adhibita: per-

inde ac ſi hoſtilis claßis in ſtatione eſſet, ad occupandum regnum parata: diſponuntur cuſtodiæ per vrbes: muniuntur portus ne ſit euadendi locus; & tot deſignantur voce præconis inquiſitores in Chriſtianos; vt non modica pars regni partitis curis, in hac vna reoccupetur. Hæc paucis. cætera hiſtorici.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

I pray wright to your freind to know what
is the lowest price for all Complutensis Course
both Logicke and Philosophy, he willbee
sure to finde them in Poules Churchyard

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
1556